



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. X. Vtrum possit homo assertiri mysterijs supernaturalibus reuelatis à
Deo, aliquo naturali assensu, sine auxilio speciali gratiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

7. Si autem prior propositio intelligatur de modo addito actui in termino, & in facto esse, iterum subdistingui potest iuxta superius tractata. Nam vel est sermo de modo extrinseco, quem moralem vocare possumus, cum re vera solum consistat in aliqua extrinseca denominatione, seu relatione rationis, vel de modo intrinseco, & physico, atq; in re ipsa addito, & coniuncto actui. In priori sensu gratis damus, posse actum naturalem aliquo modo supernaturali extrinsece affici, seu denominari. In hoc vero sensu negamus posteriorem propositionem, quia hic modus non sufficit ad propriam excellentiam horum actuum, quam Ecclesia docet, & Scriptura satis indicat, ut longo discursu probatum est. Et præcipue quia vel ad illum modum non essent necessaria auxilia gratiæ, quæ vires præbeant ad agendum, quia illa denominatio non fit ab ipso homine operante: vel si contingat, vnum actum naturalem voluntatis imperari, vel referri, & consequenter denominari ab alio actu supernaturali eiusdem voluntatis, tunc supernaturalitas tota est in actu imperante seu denominante, & ad illum sunt per se necessariae supernaturales vires, & auxilia, ideoque esse supernaturale illius non potest in sola denominatione extrinseca consistere.

8. In posteriori autem sensu de modo intrinseco, & reali, negamus illam priorem propositionem, non enim potest intelligi modus intrinsecus, & realis, & supernaturalis accidentaliter adiunctus actui naturali, ratione cuius vires gratiæ postulantur, & qui ad salutem sit necessarius, quod etiam late probatum est, quia modus maioris intensiōis, vel alius similis, si fortasse cogitetur, & siue possibilis sit, siue non sit, certum est ad salutem non requiri, & ideo propter illum vires gratiæ non requiri. Necessè est ergo, ut propter substantiam talium actuum virtus gratiæ necessaria sit, & hoc est esse supernaturales quoad substantiam. Et ideo etiam non sufficit modus maioris facilitatis, aut promptitudinis, vel similis, quia & omnes isti, vel consistunt tantum in fieri, vel sunt extrinseci, & quod caput est, Concilia expresse declarant, gratiam non tantum propter talem modum esse necessariam. Et ita facile responderi potest ad exempla de modis supernaturalibus vnionis hypostaticæ, vel Christi, & accidentium in Eucharistia, nam illi iuxta modum entitatis, quam habent, sunt in sua substantia supernaturales, & adduntur rebus naturalibus ex speciali operatione, & institutione diuina. Ad aliam vero partem, qua probatur, obiectum fidei esse naturale, & viribus naturæ accommodatum; respondemus, negando assumptum. Nam omnia illa, quæ in argumento adducuntur, solum probant de propositione, & applicatione illius obiecti, quæ sit modo naturali, quamuis non sine directione Spiritus Sancti interius mentem gubernantis. Sub illa vero propositione applicantur motiua credendi, & volendi credere omnino supernaturalia, ut dictum est, & in cap. 10. magis explicabitur.

CAPVT X.

Virum possit homo assentiri mysterijs supernaturalibus reuelatis à Deo, aliquo naturali assensu sine auxilio speciali gratiæ?

1. Ratio pro utraque parte.
Ratio pro utraque parte.
Ratio pro utraque parte.

Pelagij fuit, sufficienter propositis mysterijs fidei, factisq; credibilibus per Euangelicam prædicationem, hominem sua libertate posse illis assentiri sine speciali auxilio gratiæ. Quem errorem Aug. sepiissime detestatur, epist. 106. & lib. 3. de Doct. Christ. c. 33. & lib. de Grat. Christi. Imo cum ipse aliquando in eo errore fuisset, illum retractauit lib. 1. retract. c. 23. & latius lib. de Prædest. Sanct. c. 3. ergo ad hunc errorem pertinet, quamcunq; fidem naturalem supernaturalium mysteriorum admittere, ad quam gratia reuelationis necessaria sit, & nulla alia. Quod si quis dicat, Pelagium fuisse loquutum de fide perfecta, fidem vero acquisitam fore semper imperfectam, & ideo licet concedatur naturæ absque auxilio gratiæ, non pertinere ad errorem Pelagij.

Contra hoc innuitur tertio, quia Semipelagiani ita distinxerunt fidem imperfectam, & perfectam, & dixerunt imperfectam esse ex nobis, perfectam vero ex gratia, ut constat ex supra dictis Proleg. 5. explicando sententiam Calsiani, & Fausti. Et nihilominus illa etiam sententia damnata est, eo quod diceret, fidem imperfectam esse ex nobis, & illam ex professo impugnari August. toto lib. de Prædest. Sanct. ut alia loca omittam, & Prosper, ac Hilarius in epist. ad Augustinum eundem notant errorem, eumq; impugnat Prosper toto lib. contra Collat. & alijs locis sæpe citatis, & Fulgentius de Incarnat. & grat. cap. 17. & sequen. ergo admitti non potest illa fides naturalis, quantumuis imperfecta istorum mysteriorum. Ac tandem argumentor quarto, deducendo ad errorem Malsiliensium, nam si homo posset aliquam fidem adhibere mysterijs reuelatis à Deo, per illam fidem mereretur fidei augmentum, & perfectionem, & sic nulla fides esset donum gratiæ, non quidem prior, siue imperfecta, quia sit sine auxilio gratiæ, nec etiam posterior, id est perfecta, quia datur ex merito prioris fidei, & sic iam non est gratia. Consequens autem est contra dicta in cap. 2. & 3. & contra definitionem Conc. Arausiaci, & Trid. ergo. Sequela probatur ex sententia August. lib. de Prædest. Sanct. cap. 2. dicentis, *Quis dicat, eum, qui iam cepit credere, ab illo, in quem credit, nihil mereri?* Item quia ille facit, quod in se est circa sibi reuelata: ergo meretur iuuari à Deo, ut fidem, sicut oportet, periciat.

In hoc puncto aliquid est inter Theologos communiter receptum, & aliquid in controuersiam nunc à Modernis vertitur. Primum est, circa mysteria fidei reuelata posse dari aliquem assensum fidei acquisitæ solis naturæ viribus: & consequenter posse esse aliquam voluntatem credendi illi fidei proportionatam, ac subinde acquisitam, & elicitam sine speciali auxilio gratiæ. Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 3. & ibi omnes expositores. Theologi etiam antiqui superiori capite allegati tam illi, qui putant, actum fidei Christianæ esse naturalem quoad substantiam, ut Capr. in 3. d. 24. q. vnic. ad argumenta Scoti contr. secundam concl. Item Scotus, Gabr. Durand. Almain. & alij in 3. d. 23. Caiet. 1. 2. q. 109. art. 1. & 4. Soto lib. 2. de Nat. & grat. c. 8. 14. & alijs locis sæpe allegatis, quam illi, qui tenent fidem infusam esse assensum supernaturalem quoad substantiam, ut Alenf. Ricard. atq; etiam D. Thomas, & idem docent Moderni Medin. & alij supra allegati, & Bannez. 2. 2. q. 5. art. 2. & q. 6. art. 1. & Azor. tom. 1. lib. 3. c. 24. q. 2. & optime Bellar. lib. 6. de Grat. & lib. arbitr. cap. 3. in generali responsione ad obiectiones.

Potestque hoc probari primo ex illo Iacob. *Demoniis credunt, & contremiscunt*, constat enim, demoniorum fidem non haberi viribus gratiæ, quæ illis non dantur. Verum est, illam fidem non voluntariam esse, sed necessariam, ac subinde procedere ex aliquibus principijs euidentijs partim ex naturali lumine, partim experientia, quæ reducitur ad euidentiā in attestante, quam posse habere Angelos de rebus fidei, communis opinio fert, quamuis quæstio fere de nomine

2. Ratio.

4. Ratio.

3. assertio communis quod datur aliqua fides naturalis de reuelatis.

4. Probatur 1. de fide necessaria de monum.

mine sit, an illa dicenda sit fides, nec ne: Iacobus autem absolute ita illam appellat, nam credere non sit, nisi per actum fidei. Homines vero possunt ad illam euidenciam peruenire, quod si aliqui ut Apostoli, vel alij, qui miracula cōspicere, & ponderare potuerunt, illam assecuti sunt, credo non potuisse illam acquirere sine Spiritus Sancti auxilio præparante voluntatem eorum, ut pie susceperent, quæ dicebantur, & ut vim motuorum, & miraculorum ponderare, & penetrare possent, ideoq; ille modus fidei, quamuis naturalis quoad substantiam sit, non potest (ut opinor) obtineri ab homine lapso, vel in pura natura constituto sine speciali Dei adiutorio. In quo non est homo demonibus comparandus, nam demones facillime cognoscunt virtutes signorum, etiam euidenter, & ex illis possunt euidenter cognoscere, Deum esse, qui per hominem loquitur, quod hominibus longe difficilius est, & ex multa circumsp̄ctione, & affectione pendet, quæ non potest in re tam difficili, & aliena à sensibus, & affectibus humanis, moraliter loquendo, solis viribus proprijs adhiberi.

5. Nihilominus tamen alia fides voluntaria, & libera ex humano discursu, & libera voluntate haberi facile potest. Id constat exemplo in hæretico, qui aliqua myſteria credit, & non fide infusa, quia illam non habet, nec etiam auxilium speciali gratiæ, quia credit humano, & non diuino motiuo, & quia gratis dicemus, dari eis speciale auxilium gratiæ ad quandam fidem, quæ nihil illis ad salutem prodest. Idem dici potest de Iudeis, nam etiam illi aliquas veritates fidei credunt ex suorum maiorum traditione, ut vetus testamentum esse verbum Dei, & esse vera, quæ in illo continentur, hoc enim credunt, licet in particulari in illarum interpretatione errent. Imo, & Christiani non semper dum credunt, actus supernaturalis, & infusus exercent, sed sæpe duci possunt ex testimonio parentum, vel humana quadam consuetudine. Ratiō vero non est alia, nisi quia hæc veritates fidei re vera non asseruntur tantum testimonio diuino, sed etiam humano, & ita potest homo pro sua imperfectiōne, & libertate duci ex testimonio humano, & tunc actus est naturalis, & facilis, quantumuis materiale obiectum altissimum sit, & hoc confirmant exempla gentilium, qui ex traditione parentum, portenta quædam credunt, in quibus plus difficultatis est, quam in veritatibus fidei, quia interdum conuincuntur esse falsa, & contraria rationi, quod de veritatibus fidei ostendi non potest.

6. Et hinc etiam constat, voluntatem sic credendi, non esse supernaturalem, neque ad illam esse necessariam gratiam, quia est mere naturalis, & in ea potest non esse difficultas ex quadam consuetudine, vel licet sit aliqua, affectus ad proprium discursum, & iudicium interdum sufficit ad illam vincendam, ut in hæretico est manifestum. Solum illi authores, qui omnem occasionem, vel cogitationem congruam cognoscendi aliquod verum, vel volendi aliquod bonum, gratiæ auxilium appellant, dicunt consequenter hanc voluntatem credendi aliquid fidei, etiam humano modo, si honesta sit, non posse haberi sine auxilio gratiæ, neque ipsum assensum talis fidei, quatenus est de obiecto vero, esse sine simili gratiæ adiutorio. Veruntamen hoc generatim supra satis reiectum est, & in particulari de illa fide manifestum est, solum supponere gratiam doctrinæ, & reuelationis, quæ non est proprium gratiæ adiutorium, quod inquirimus. Accedit, quod illa occasio audiendi res fidei, & iudicandi de credibilitate earum, & cogitandi de illa, ita congrue, ut inducatur voluntas ad volendum sic credere, hoc totum potest prouenire ex generali prouidentia gratiæ, & non ex peculiari intentione salutis eius, quia sic credit. Nā fieri potest, ut talis fides non solum nihil proficiat sic credenti ad salutem, verum potius sit illi occasio maioris damnationis; ergo talis cogitatio congrua, nec per se habet ratio-

nem gratiæ, nec ex intentione Dei dantis illam per generalem concursum, & prouidentiam, illam rationem participat. Ad hanc ergo fidem, & voluntatem sic credendi, per se nulla gratia necessaria est.

Hoc posito, inquirendū superest, qualis, & quanta esse possit hæc fides sine auxilio gratiæ acquisita. In quo nos supponimus illam esse speciem diuersam à fide Christiana ad salutem necessariam. Nam licet ex antiquis Theologis pauci hoc senserint, nihilominus verissimū est, & his temporibus cōmuniter receptum, & inter alios id asseruit Molina in Concord. q. 14. art. 13. disp. 7. §. Nostrā, in fine, sequiturq; euidenter ex dictis capitib. præcedentibus: nā actus fidei Christianæ est supernaturalis in substantia: i. e. est essentialiter supernaturalis in sua specie; hæc autem fides, de qua modo loquimur, est mere acquisita, & quoad substantiam suam est naturalis, fieriq; potest per vires naturæ: ergo differunt specie. Item habitus illis correspondentes specie differunt, nam vnus est per se infusus, & alter acquisitus: ergo & actus eorum.

Atq; hinc sequitur, omnes proprietates fidei altiori, & excellentiori modo inueniri in actu fidei Christianæ, quā huius acquisitæ. Probatur, quia hæc proprietates, vel sunt essentielles, vel sequuntur speciem, & essentialia rei: sed species, & essentia fidei altiori, & excellentiori est in fide infusa: ergo & proprietates siue essentielles fidei, siue cōsequentes illā intrinsece sunt excellentiores in fide infusa, q̄ in hac acquisita. Hæc autem proprietates esse videntur certitudo, infallibilitas, pietas, firmitas, & vniuersalitas. Certitudo ad intellectum pertinet, assentiēti sine vlla formidine partis oppositæ: q̄ certitudinē maxime postulat Christiana fides. Infallibilitas est radix certitudinis, & respicit obiectū, ita verū, ut deficere nō possit, neq; assensus possit non esse illi conformis, q̄ est esse infallibiliter verum, & hanc proprietatem perfectissime habet fides Christiana ex prima veritate, cui credit. Pietas pertinet ad voluntatem subiicientem intellectum Deo, & in his rebus, quæ humanā rationē superant, & in quodā credendi modo plane diuino, ut paulo post explicabo. Et inde oritur firmitas, quatenus ad voluntatem omni rationi, & omni contrariæ opinioni fidē præferentē, spectat. Vniuersalitas pertinet ad materiale obiectū fidei: nā vera, & Christiana fides omnia credit, si sufficienter proponantur, quæ omnia ex materia de fide supponimus quoad fidem infusam. Nunc explicandum est, quomodo fides acquisita possit, vel non possit has proprietates in illo gradu attingere, & ita declarabitur simul, qualis, & quanta esse possit.

Primo ergo inquirimus, an hæc fides possit esse certa, i. e. an homo sine auxilio gratiæ possit credere res reuelatas assensu certo. Aliqui affirmant, illū assensum posse esse certū ex parte credentis, præsertim Scot. in 3. dist. 23. vbi indicat, nō minus certū esse posse, quam sit assensus fidei infusæ, quia qui sic credit, ita firmiter adheret, ut non dubitet, nec dubitare possit, stante fide, licet illam mutare possit; non est autem maior certitudo in fide infusa, nā ēt deseri potest, licet dum est, nō permittat dubitare. Quod argumentū tā efficace illi visum est, vt concludat, Et si velitis dicere, fidem infusam requiri propter aliquā maiorem certitudinē, solutus argumentū factum. Aliqui etiam tribuunt hæc opinionem Molinæ in Concordia disp. 7. sed ibi nihil huiusmodi affirmat: imo in §. Nostrā, in fine cōcludit, hunc assensum non esse, nisi opinionem, fidemve humanam.

Mihi ergo videtur nō repugnare, quin assensus huius fidei acquisitus certus sit, licet non x̄p̄, ac assensus fidei infusæ. Vt utrūq; probemus, distinguamus duplicē certitudinem, vnā per se cōuenientem actui, seu q̄ actus postulat ex vi sui obiecti formalis, qualis est certitudo scientiæ ex vi medijs demonstratiui: alterā accidentariā ex adhesionē, ac voluntate assentiētis, qualis est interdū in aliquo ita suæ opinioni adherere, vt illā euidentē esse denuntiet, eiq; sine vlla formidine assentiatur. Distinguere oportet duplicē fidē natur-

Probatur a. de fide libera hominum.

Confirmatur ratione.

Item de actu volendi credere.

Prædicta f. de necessitate speciei diff. de Christiana.

Excellentiore res fidei proprietas f. de Christiana, quam humana.

Proprietates fidei Christianæ.

An hæc fide naturalis possit esse certa? Opiniones firmæ.

Opinio vera. Certitudo duplici.

Duplici ratione. Duplex natura.

naturalem mysteriorum fidei, vnam obscuram simpliciter, ac subinde voluntariam, & liberam, aliam euidentem in testificante, qualis est in demonibus, & potest esse in homine, vt declarauit. Prior nunquam est certa ex parte obiecti, quia vt ostendam capite sequenti, reducitur vltimate in fidem humanam, & acquisitam, quæ nunquam est certa ex parte obiecti, cum non fundetur in medio infallibili. Aliquando vero potest talis fides esse certa ex voluntaria adhesionem credentis, vt esse solet in hæretico dante vitam pro aliqua veritate catholica, quam retinet. Nunquam tamen illa certitudo æquabitur certitudini fidei infusæ, quia in fide infusa inuenitur certitudo per se, & ex vi obiecti, quia innititur Deo, qui nec falli, nec fallere potest. Et inde fit, vt de se potentior sit ad firmandam mentem, & animum in assensu talis veritatis, ita vt difficilius ab eo remoueat. Nam licet dicat hæreticus, se credere, quia Deus dicit, reuera non in eo innititur, sed in sua priuata opinione, vt infra declarabo.

11. *Contra de fide acquisita se minor est certitudine fidei infusæ*
At vero si assensus fidei acquisitæ sit euidentis in testificante, potest esse certus per se, & ex vi obiecti formalis, seu medijs, quia suo modo innititur medio euidentis, euidentia autem per se infert certitudinem. Et hoc modo est certa fides demonum. Et in hominibus doctis in rebus, & motiuis Christianæ fidei fieri potest vt tam euidentis illis sit, has res, quas fides proponit, esse à Deo reuelatas, sicut est euidentis, Romam esse. Vnde si ex vi illius euidentia, quæ in substantia naturalis est, assentiantur per proprium discursum rebus fidei, habere poterunt assensum certum, tametsi naturalem, & acquisitum in eo saltem gradu, in quo certò credimus, Romam esse, & similia. Quamuis homines, vt dixi, non perueniant in hoc statu ad illam euidentiam sine iuuamine gratiæ, non quia actus in se sit supernaturalis, sed quia est adeo difficilis propter multa, quæ ad illum necessaria sunt, vt sine aliquo adiutorio Dei, & ipsius fidei infusæ, non possit difficultas illa superari. Et nihilominus hæc etiam certitudo, quamuis ex euidentia nascatur, nunquam erit æqualis certitudini fidei infusæ, per se de veritate loquendo. Quia talis euidentia semper nititur in aliqua humana experientia circa obiecta creata, & per media creata, in qua euidentia tota certitudo illius fidei fundatur. Certitudo autem fidei infusæ nititur in Deo ipso, & in verbo eius per se, & propter se credito, quæ multo maior est. Item hac ratione certitudo fidei maior est, quam certitudo scientiæ naturalis, vt in proprio tractatu ostenderetur; ergo nunquam certitudo fidei acquisitæ, quantumvis euidentis potest peruenire ad certitudinem fidei infusæ. De certitudine autem ex parte credentis non est curandum, quia illa extrinseca est, & per accidens, vnde non mutat naturam actus, nec cadit sub scientiam. Satis ergo est, quod secundum rectam prudentiam etiam adhesio ex parte credentis debet esse maior, quando fide infusa credit, quia habet maiorem causam, & rationem infallibilitatis.

12. *Contra arg. in 2. q. 1. de fide*
Neque contra hoc obstat argumentum Scoti, tum quia falsum assumit, si generaliter intelligat, fidem acquisitam nullam secum admittere dubitationem, quia etiam timor falsitatis, ac deceptionis formido potest simul esse cum fide acquisita, saltem quamdiu non est aliquo modo euidentis, illa autem formido genus quoddam dubitationis est, quam fides infusa secum non admittit, saltem cum deliberatione, & consensu: fides autem, quam habet hæreticus, possit illam admittere, imo necessario sequeretur ex modo credendi eius, si constanter sentire, & loqui veller, cum suo arbitrio vnum ex reuelatis credat, & non aliud, & ita de vtroque potest æque formidare. Deinde etiam si loquamur de fide acquisita, in qua hoc iudicium, Deus hac reuelauit, seu dixit, sit euidentis ex signis, & testimonijs humanis: & de illa fateamur, excludere omnem dubitationem, & formidinem, non inde

Pars I.

sequitur, non posse fidem infusam esse certiores, quia causa certitudinis eius maior est, maiusq. absurdum sequeretur, si illi posset subesse falsum, quam si alteri fidei acquisitæ subesset, nam hinc solum sequitur, potuisse hominem decipi in eo, quod videbatur humano modo euidentis, illinc vero sequeretur, Deum esse testem falsum, quod longe impossibilis est.

Ex his facile definiri potest, quid de infallibilitate dicendum sit. Aliqui enim simpliciter negant, actum fidei acquisitæ de mysterijs reuelatis esse infallibilem, quia nullus assensus est infallibilis, nisi sit euidentis per lumen primorum principiorum, aut scientiæ, vel sit elicitus per lumen supernaturale fidei, aut prophetiæ, neutrum autem horum habet fides hæc acquisita: ergo. Sed distinctione opus est. Actum enim esse infallibilem nihil aliud est, quam actum non posse esse falsum, vt vox ipsa præ se fert. Hoc autem dupliciter contingit, vtique materialiter, aut formaliter, id est, vel ex vi propositionis creditæ per se spectatæ, quæ necessariam habet veritatem, vel ex vi motiui, & rationis credendi, quando talis est, vt cadere non possit, nisi in rem veram. Fides ergo mysteriorum reuelatorum à Deo, est priori modo infallibilis ratione materiæ, in quam cadit, talis enim assensus materialiter, seu entitativè, & indiuiduè sumptus non verifatur, nec terminari potest ad aliam propositionem, nam eo ipso, quod materia mutaretur, iam esset alius assensus, & alius actus, ac denique non esset fides acquisita mysteriorum supernaturalium. Actus autem terminatus ad hanc materiam, seu propositionem non potest esse falsus, vt per se constat, quia est conformis propositioni necessariò veræ; ergo materialiter est infallibilis. Confirmatur, quia per talem fidem acquisitam regulariter creditur, Deum reuelasse talem propositionem, vt capite sequenti magis explicabo, & ex vi talis fidei acquisitæ de ipsa reuelatione creduntur reliqua esse vera; ergo creduntur, vt infallibilia, quia quod à Deo reuelatum est, necessario verum est, & in hoc sensu dicitur infallibile; ergo & talis fides est infallibilis saltem ex materiali obiecto.

Aliter vero loquendum est de infallibilitate formali, in qua est etiam constituenda differentia inter fidem acquisitam demonum, & hominum ordinario modo credentium, seu inter fidem coactam, seu non liberam ratione alicuius euidentia, & liberam propter inuidentiam, & obscuritatem. Nam hæc posterior fides (de qua præcipue hic loquimur, quia illa est in communi vsu, & quia de illa fuit controuersia cum Pelagianis) sine dubio est fallibilis ex vi obiecti formalis. Nam vltimate tandem resoluitur in humanam auctoritatem, quæ fallibilis est. Probatur, quia illa fides non transcendit perfectionem opinionis, & fidei humanæ, vt D. Th. recte docet 2. 2. q. 5. art. 3. & Molin. supra expressè, & omnes, qui recte sentiunt; ac fides humana, & opinio ex vi formalis rationis suæ fallibilis est, licet materialiter contingat, aliquam opinionem de aliqua veritate esse infallibilem ratione materiæ. Sic ergo est in præsentia. Vnde contingere potest, fidem aliquam eiusdem speciei cum hac fide acquisita rerum fidei esse falsam, vt in hæretico credente, Deum esse Trinum, & Spiritum Sanctum non procedere à filio, vnus assensus est veras, & infallibilis materialiter, & alter est falsus, & tamen esse possunt eiusdem speciei in tali homine, nam verumque credit, quia sibi videtur esse reuelatū à Deo: & ita actus in essentia sunt eiusdem speciei, quæ non à materiali obiecto, sed à motiuo sumitur, & nihilominus vnus est falsus, & alius verus; ergo vterque est de se fallibilis ex vi suæ naturæ, & rationis formalis, licet quasi per accidens seu materialiter, aut in indiuiduo contingat, talem actum cadere super materiam veram, & necessariam, & alium super impossibilem. Atq. hæc est potissima differentia quoad infallibilitatem inter fidem infusam, & acquisitam, etiam si sint eiusdem obiecti materiali.

Kk 3

At

13. *An hac fide naturali sit infallibilis? Sententia negans.*

Vera resolutio.

Hac fides est materialiter infallibilis.

Confirmatur.

14. *Hac fides formaliter est fallibilis.*

Probatur.

Confirmatur.

15. At vero si assensus fidei acquisitus fuerit euidentis in attestante, ita ut vere necessiter intellectum, vel simpliciter, vel morali modo, talis actus est infallibilis etiam ex vi medijs sui, ac subinde ex obiecto formali, quia etiam ille assensus procedit ex principijs euidentibus, qualia sunt, *Quod Deus dicit, est infallibilis, & Deus hoc dicit*. Nam primum est notum scientia naturali, secundum autem supponitur cognosci euidenter ex signis experimento cognitis, iuuante etiam discursu rationis in nobis, & in Angelis efficacia sui luminis naturalis. Ergo assensus in illis principijs fundatus est infallibilis, quatenus nititur medio euidenti, ergo non tantum ex materiali obiecto, sed etiam ex formali, seu ex medio cognoscendi est infallibilis. Vnde non procedit contra hanc partem fundamentum prioris sententiæ. Quia vel hæc fides, quatenus est euidentis, potest dici suo modo scientia a posteriori, seu potius per medium extrinsecum: vel si ita vocetur fides, ut omnino negetur esse scientia; respondemus, sumpta scientia in illo rigore, falsum esse illum tantum assensum esse infallibilem, qui vel est scientificus, vel ex principijs scientiæ propriæ procedit: satis est enim quod procedat ex principijs euidentibus quocunque modo, cum euidenti illatione. Vnde iuxta gradum euidentiae principiorum, erit etiam gradus infallibilitatis fidei. Nam assensus huius propositionis, *Roma est*, moraliter est infallibilis, non metaphysice, quia principium, in quo nititur, scilicet, quod tot homines tanto & tam diuturno consensu, ut testes oculati affirmant, non potest esse falsum, hoc (inquam) principium moraliter verum est, & euidentis, non metaphysice, ut principium, *Quod Deus dicit, est verum*, est euidentis simpliciter, & in se prorsus necessarium, & infallibile. Vnde si altera propositio, scilicet, *Deum esse, qui hoc testificatur*, fiat etiam simpliciter euidentis, ut fieri potest saltem quadam naturali euidentia, simili modo fides inde genita erit euidentis, & infallibilis. Et nihilominus nunquam perueniet ad infallibilitatem fidei infusæ, & assensus eius. Quia hæc ex parte formalis obiecti sui, nititur in sola veritate Dei dicentis totum id, quod creditur, quæ veritas Dei infallibilior est omni euidentia, & lumine naturali, quia multo magis illi repugnat falsitas, quam omnibus illis signis, & motibus creatis, in quibus euidentia illa in testificante fundari potest, velati in propria materia dicendum est.

Solutur fundamentum neg. sententiæ 17 n. 13.

16. Tertia proprietas dicebatur esse pietas, quæ proprie conuenit fidei, ut voluntaria est, ideoque fides naturalis, ad quam intellectus per aliquam euidentiam cogitur, hanc proprietatem non participat. Sumitur ex doctrina D. Thomæ. 2. 2. quæstione quinta articulo secundo in corpore & ad secundum. ubi ait, *fidem, quæ est donum gratiæ, inclinare hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni, etiam si sit informis*. Quod fecus esse dicit in fide dormonum. Nam illi, vel iniuncti credunt, & contemiscunt, & ideo fides illa nullo modo ex pietate procedit. Et licet interdum in viatore fides euidentis in attestante, quæ supposita principiorum euidentia est necessaria, possit esse non coacta, sed appetitui conformis, ac subinde voluntaria causaliter, id est, à voluntate determinante intellectum ad speciem actus, & ideo non est fides pia, seu ex pia affectione procedens. Quamuis usus illius, si sit liber quoad exercitium, possit ex pia voluntate procedere, quod accidentarium est, & inuenitur etiam in scientia. Præterea fides acquisita supernaturalium mysteriorum, quando est obscura, licet voluntaria sit, per se tamen non habet, quod sit pia, sed potest ex praua voluntate procedere, ut in ludæo credenti mundi creationem manifestum est, id enim credit pertinaciter voluntate, quæ etiam credit, venturum adhuc Messiam, & idem est de heretico, qui id credit, quod vult, proprio iudicio confusus, & ideo licet contingat verum aliquod credere, non bene, nec pie credit. Denique

Fides acquisita obiectum non per accidens tantum pietas sequitur.

licet contingeret, aliquem credere, quæ prædicantur, ex quadam naturali prudentia, quia sunt probabilia ex testimonijs humanis, quia videtur esse rationi contentaneum illa credere, adhuc illa fides non est pia eo modo, quo fides Christiana esse debet pia, quia per illam voluntatem non captiuatur intellectus in obsequium fidei, nec subijcitur Deo, sed ad summum rectæ rationi, & humanæ prudentiæ. Et hac ratione diximus, fidem naturalem differre ab infusa non solum in assensu, sed etiam in voluntate assentiendi, quæ longe altioris rationis est in fide infusa.

Et hinc etiam intelligitur, quo sensu quarta proprietas, quæ dicebatur esse firmitas, singulariter in fide infusa inueniatur. Firmitas enim sæpius refertur ad intellectum, & sic non differt à certitudine, neque aliud de illa dicere oportet. Aliter vero pertinet ad voluntatem, & ita ibi sumitur, significat magnam quandam adhesionem voluntatis ad fidem. Et in hac etiam proprietate excedit fides infusa acquisitam ad eum modum, quo amor super omnia excedit inferiorem amorem: nam qui animo Christiano credit, vult credere supra omne credibile, & ita est affectus ad eam fidem, ut paratus sit propter nullam rem mundi illam relinquere. Quia autem credit fide naturali, & acquisita, non est sic affectus ex vi voluntatis naturalis credendi, tum quia credit tantum ex humano testimonio, quod de se non potest ita ad se trahere voluntatem, tum etiam quia naturalis facultas non sufficit ad mouendum ita intellectum ex sola pietate, & subiectione ad Deum; imo nec ex sola honestate, quæ in tali fide spectari potest. Nam si interdum aliqua similis constantia, & firmitas in hæretico inuenitur circa suum errorem, ideo est, quia tali credulitati adiungitur vana aliqua ostentatio, aut honor, vel commoditas, quæ ad illam pertinaciam iuuat. Nam in hominibus, qui à sensibilibus, & temporalibus magis mouentur, potentiora sunt illa inferiora motiua ad mouendum voluntatem, quam mere spiritalia, ut ex Augustino libro de Continent. in superiori libro diximus.

Vltima denique proprietas veræ fidei infusæ est, ut sit vniuersalis, id est, ut credat omnia, quæ sufficienter proponuntur, ut à Deo reuelata, quia cum formalis ratio fidei eadem sit in omnibus credibilibus, quæ non potest intellectus firmiter adherere vni, & non alteri, ideoque ut fides sit qualis oportet ad salutem, esse debet vniuersalis. Et hinc est ut per vnum actum contrarium tota fides infusa amittatur. Hinc etiam est, ut quia nunc secundum ordinariam legem fides nobis per Ecclesiam sufficienter proponitur, non possit esse fides supernaturalis, nisi quæ est Catholica, id est, vniuersalis quoad omnia, quæ Catholica Ecclesia credenda proponit.

Dices: fieri potest, ut alicui tantum proponatur vnum mysterium fidei, & illud credat vera, & supernaturali fide; ergo non est de ratione talis assensus, ut sit vniuersalis. Alias non posset quis saluari sine fide omnium articulorum fidei, quod falsum est, qualicet aliquem ignoret innuicibiliter; imo licet ex eadem ignorantia circa aliquem erret, poterit saluari per veram fidem vnius, si ex parte voluntatis bene etiam disponatur. Respondetur, non oportere fidem esse vniuersalem actualiter, sed virtute, & maxime in animi præparatione, quod alias dicitur, non oportere ut sit explicite vniuersalis, sed satis esse implicite, & hoc esse necessarium. Tum ex parte rationis formalis credendi, quæ est diuina veritas, cui credendum est, tanquam infallibili testimonio, in quo modo credendi virtute creditur esse verum, quicquid Deus dixit, etiam si credens ea ignoret. Tum etiam est necessarius ex parte affectus credendi, qui talis esse debet ad id, quod credendum proponitur sufficienter, ut paratus sit ad credendum omnia, quæ

17. Firmitas quæ voluntas habet ad Christianam legem, non est naturalis.

18. Proprium est fidei infusæ, quod sit vniuersalis, quod non est proprium fidei acquisitæ.

19. Obiectum.

quæ sufficienter etiam fuerint propolita, vt à Deo dicta, & hoc modo fides cuiuscunque rustici est vniuersalis, quia credit ex animo; quo paratus est credere quicquid Ecclesia proposuerit. Ab hac autem vniuersalitate deficit in primis fides humana aliorum mysteriorum, quæ in hæretico, vel iudæo manet, quæ nec actus est vniuersalis, nec virtute, cum alia similiter propolita non credant.

20. Dubitatur autem potest, an possit aliquando fides, acquisita esse vniuersalis ex voluntate credentis, esto non sit talis ex vi rationis formalis credendi. Videtur enim hoc repugnare, nā omnia reuelata possunt fide humana credi, & tota illa fides est mere naturalis: ergo pro voluntate credentis. Nihilominus verisimilius est, id non posse sola industria humana sine auxilio gratiæ fieri, quia sicut in moralibus homo potest vnum, vel aliud præceptum implere, non tamen collectionem omnium, licet per actus naturales implenda sit, vel sicut potest vnam, vel aliam, & plures veritates naturales sine errore cognoscere, non tamen omnes, ita maiori ratione, licet possit vnum, vel aliud mysterium fidei credere modo imperfecto, & naturali, non tamen omnia collectiue, etiam successiue, & per actus multiplicatos, quia longe difficilius est in his omnibus non errare, quam in scientijs. Quæ ratio præcipue habet locum in fide acquisita libera, quæ pendet ex coniecturis, & signis incertis, & ex proprio discursu tanquam ex propria ratione assentiendi, & præter ea ex affectu voluntatis liberæ, ac variabilis. Veruntamen etiam habet locum in fide acquisita euidente, si forte ab homine circa hæc mysteria cõparari potest, quia illa etiam per se est valde difficilis circa singula, pendetque ex magna diligentia, intelligentia, discursu, & requirit etiam affectum, saltem non repugnantem, nec male affectum.

21. Dices posse hoc fieri, reducendo omnia credenda ad vnum primum creditum, ex quo necessario alia deducantur. Tunc enim si intellectus conuincatur, & necessitate ad credendum primum, saltem fide acquisita fieri potest, vt inde reliqua omnia sine errore credat. Quod maxime continget, si quis in illo modo credat, Ecclesiam regi ab Spiritu Sancto, id eo quod non possit errare in his, quæ præponit: quia hoc posito, euidenter constare potest, an reliqua proponantur ab Ecclesia, nec ne, saltem quadam morali, & humana euidentia, quæ satis esse potest, vt eadem fide acquisita possit quis credere omnia reuelata sine vilo errore. Veruntamen etiam hic modus non est admodum verisimilis. Quia prius fundamentum vix, aut nec vix quidem potest ita euidenter ostendi, vt de necessitate credatur fide humana. Nam illa euidentia solum potest esse in aliquo attestante infallibili, qui est solus Deus; difficile autem est euidenter ostendere Deum dixisse, Ecclesiam non posse decipi, vel decipere in rebus fidei: nam licet euidenter ostendatur hoc esse credibile, non tamen ita esse. Præterquam quod non est euidentis, quæ, & qualis sit hæc Ecclesia, nec quando, aut per quos ita loquatur, vt decipere non possit; sed hæc omnia fide tenentur, & solum sunt credibilia per coniecturas, & signa, & per humanum discursum, aut authoritatem. Itaque quocumque modo ponatur fides acquisita mysteriorum fidei, non credo esse posse integram, & sine mixtione errorum, sine aliquo auxilio speciali. Loquor autem de fide humana, quia in Angelis, & demonibus est ista fides acquisita sine errore speculatio contra fidem, quia in eis est facilis euidentia hæc, vt dixi.

22. Hinc ergo in hominibus vniuersalitas, & sinceritas veræ fidei signum magnum est supernaturalis fidei, sicut è contrario in hæretico partialis credulitas (vt sic dicam) est signum fidei acquisitæ, quæ sine auxilio gratiæ haberi possit. Adde vero in homine fideli non esse sufficiens hoc vniuersalitaris signum ad distinguendum actum fidei infusæ, & acquisitæ. Nam in homine Catholico dari potest fides acquisita vni-

uersalis omnium, quæ ab eodem creduntur per fidem infusam. Quod patet, quia circa illa omnia, quæ credit, potest sæpe exercere actus naturales fidei acquisitæ, quia hoc pendet ab eius libertate, & actuali consideratione; & in eo ablata est difficultas per coniunctionem fidei diuinæ. Potest experientia ostendi, nam licet aliquis, qui diu fuit Catholicus, fiat hæreticus, adhuc retinet facilitatem, & promptitudinem credendi ea, in quibus non errat; imò etiam ad ea, quæ per nouum errorem negat, sentit propektionem, & inclinationem ex antiquo habitu relictam: ergo signum est, cum habitu fidei infusæ habuisse acquisitam, vtique per actus naturales fidei, quos vicissim, & fortasse frequentius cum supernaturalibus prius, cum esset catholicus, efficiebat. Non ergo repugnat fidem acquisitam circa mysteria fidei esse vniuersalem in aliquo credente.

Existimo tamen probabilissimum esse, non inueniri hanc fidem vniuersalem acquisitam, nisi in his, qui fidem catholicam profitentur. Quia sine fide supernaturali verisimillimum est, in nullo inueniri fidem acquisitam vniuersalem articuloꝝ fidei. Quia, vt dixi, hæc non potest sine speciali auxilio adiuuante acquiri pura, & ab omni errore immunis. Non est autem cur credamus hoc auxilium dari homini non credenti eadē mysteria, sicut oportet. Vnde licet fortasse in his, qui denuo ad fidem conuertuntur, interdum contingat incipere credendo aliquam veritatem sibi propositam humana fide, & ex autoritate prædicantis, nihilominus non existimo talem fidem acquisitam antecedere circa totam materiam fidei, priusquam eleuetur homo, & erigatur eius affectus ad credendum, quæ propolita sunt, sicut oportet ad salutem. Quia neque illa fides acquisita vt præuia ad infusam, necessaria est ad introductionem fidei, non solum circa totam materiam eius, verum etiam neque circa aliquem articulum, vt in tractatu de Fide dicam. Neque est, cur tātum gratiæ auxilium detur ad fidem imperfectam, & de se insufficientem ad salutem. At vero his, qui iam credunt fide catholica, propter supernaturalem fidem, quæ in eis supponitur, facillimum est simul credere fide humana omnia, quæ reuelata sunt.

Vnde ipsa diuina fides, licet non sit principium per se fidei humanæ eiusdem veritatis, est nihilominus morale adiutorium, quo facillime altera fides possit etiam esse vniuersalis. Sic etiam fides iuuat ad inveniendas rationes, & coniecturas, quibus veritates fidei credibiliores fiant, propter quas potest homo rebus etiam ipsis assentire, si velit, assensu vtique naturali, & fidei cuiusdam, vel opinionis humanæ, quæ interdum ad quandam moralem euidentiam peruenire potest. Sic ergo ipsa fides diuina dici potest speciale auxilium ad alteram fidem vniuersaliter, & perfecte in suo ordine consequendam, & exercendam, quia & perse erigit, & confortat intellectum, & excitat voluntatem, vt intellectum moueat ad inquirenda motiua, quæ humano etiā modo fidem persuadeant. Et præterea à Deo impetrat auxilium, quo id possit melius efficere. Quamuis autem hoc ita sit, nihilominus semper differentia magna seruatur inter vniuersaliter credentis libero vsu. Vnde prior fides non potest incipere, aut conseruari sine sua vniuersalitate formali, vel virtuali, vt explicauimus; posterior autem & incipere, & conseruari potest sine vniuersalitate formali, vt patet in hæretico, & sine virtuali, quia illam non habet ex vi obiecti, nam si illam haberet nunquam esse posset dimidiata fides. Atque hinc etiam est, vt ad fidē Christianam propter vniuersalitatem eius sit intrinsece necessaria gratia tanquam principium per se eius, ad fidem autem acquisitam etiam vniuersalem non ita necessaria sit, sed solum per modum moraliis causæ tollentis impedimenta,

& manu ducentis mentem intra latitudinem discursus naturalis.

25.
Quid inter
utramque
fidem inter sit.

Satisfit. 1.
in num. 1.

Fit satis 2.
eodem num.
proposita.

26.
Soluitur 3.
in num. 2.

Quis error
damnetur
in Concilio
Arausico.

Fit satis 2.
ultima.

Ex quibus omnibus satis constat, fidem acquisitam etiam si sit de rebus reuelatis longe diuerſæ naturæ, eſſe à fide infuſa, multumque à perfectione eius deficere, ideoque mirum non eſſe, quin aliqui actus eius poſſint fieri ſine gratia. Vnde etiam facile reſponderi poteſt ad rationes in principio poſitas. Ad primam dicitur, quantumuis res in ſe ſint ſupernaturales, & excedentes humanam naturam, ſi ſolum credantur, vt teſtificata humano teſtimonio, non attingi ſecundum rationem ſupernaturalem, ſed ſecundum rationem communem quibuſcunque rebus, quatenus per homines referri, ac affirmari poſſunt. Et ideo dum intellectus hæc credit per fidem acquiſitam, non fertur extra obiectum ſuum, quia obiectum materiale fidei humanæ eſt quidquid ab homine afferri poteſt, ſiue naturale ſit, ſiue ſupernaturale, & eadem ratione non agit tunc intellectus extra ſphæræ actiuitatis ſuæ, quia quilibet humana fides ſub ſphæra naturali continetur. Ad ſecundum dicitur, erraſſe Pelagium, quia loquens de Chriſtiana fide, prout ad ſalutem neceſſaria eſt, & ex parte ſua ſufficit, dixit, vicibus ſolius naturæ exhiberi poſſe, ſuppoſita tantum reuelatione, ſeu propoſitione ſufficiente. Fides autem acquiſita non eſt, qualis eſſe debet ad ſalutem, & ſiue illa præcedat, ſiue non, ſemper eſt neceſſaria propria fides infuſa, de qua Scriptura, Concilia, & Sancti loquuntur, vt ſæpe diximus, de fide autem acquiſita nec affirmant aliquid, nec negant, quia nihil ad doctrinam neceſſariam fidei, & ſalutis animarum pertinebat. In hoc ergo ſenſu admittimus reſponſum in argumento datum per diſtinctionem fidei in perfectam, & imperfectam.

Ad replicam autem, ſeu tertium argumentum ex errore Semipelagianorum, & definitione Concilij Arauſicani, reſpondemus, longe diuerſam fuiſſe ſententiam Maſſilienſium. Quia illi loquebantur de fide, quæ licet eſſet imperfecta, eſſet tamen initium quoddam, & inchoatio veræ, ac ſupernaturalis fidei, ſiue illud initium ponerent in voluntate credendi, eamque vocarent imperfectam fidem, ſiue in aſſenſu aliquo intellectus, qui eſſet quidem verus aſſenſus conferens ad ſalutem, indigens tamen aliqua maiori perfectione, quam ipſamet inchoata fides poſſet impetrare, ſeu mereri. Et hoc eſt, quod damnant Arauſicanum Concilium, & Patres. At vero fides acquiſita ita eſt imperfecta ex natura, & ſpecie ſua, vt non ſolum ſit infra fidem infuſam, ſed etiam extra omne initium, & inchoationem eius, quia nec includit voluntatem credendi piam, & ſalutarem, quam fides Chriſtiana requirit, neque eſt inchoatio, vel quaſi fundamentum Chriſtianæ fidei. Et ideo talis fides acquiſita nullo modo impetrat, vel meretur infuſam, neque eſt ſalutis initium. Vnde Arauſicanum Concilium ca. 6. ſic definit, *Si quis dixerit, ſine gratia Dei credentibus, &c. Miſericordiam Dei conferri, non autem vt credamus, &c. Sicut oportet per inſuſionem Spiritus Sancti fieri conſuetur, reſiſtit Apoſtolo, &c. Vbi addendo illam particulam, Sicut oportet, indicauit, de alio modo fidei, quæ non ſit, ſicut oportet, & eſſe poſſit ſine gratia, nihil ad doctrinam fidei referre, dummodo naturalis fides non credatur eſſe meritum, aut ratio obtinendi gratiam Spiritus Sancti ad perfectam fidem. Et ita patet reſponſio ad quartum: negamus enim ſequelam, id eſt, hanc fidem acquiſitam eſſe poſſe meritum infuſæ, vel gratiæ ad illam, quia illa eſt valde imperfecta, & omnino naturalis ordinis: in quibus actibus nullum eſt meritum gratiæ. Neque facienti quod poteſt per vires naturæ, datur gratia ratione talis actus, vt infra ſuo loco latius dicitur. Auguſtinus autem loquitur de fide vera, & Chriſtiana, licet inchoata tantum, vt capite ſequenti explicabo.*

CAPVT XI.

Virum fides aliqua, quæ idem motuum credendi, eandemque rationem formalem obiecti habeat cum fide infuſa, poſſit haberi ex virtutibus naturæ ſine auxilio gratiæ.

Hæc queſtio valde neceſſaria eſt ad intelligendum, quanta ſint vires liberi arbitrij ad operandum circa ſupernaturalia obiecta, quæque ſit propria diſſerentia inter actus infuſos, & acquiſitos, qui in eadem materia verſantur. Vnde ex le quaſtio communis eſt omnibus actibus infuſis, ſoletque ſub hiſce generalibus verbis tractari, an actus in ſua ſubſtantia ſupernaturalis, & actus naturalis poſſint verſari non ſolum circa idem materiale obiectum, ſed etiam circa idem formale. Nos autem nunc de fide agimus, poſtea de cæteris dicemus, prout ſpecialis ratio aliarum virtutum poſtulauerit, ita enim fiet, vt melius diſſerentias ſingula expendantur. Aliqui ergo ex moderatis Theologis non contenti hiſ, quæ in capite præcedenti dicta ſunt, contendunt, poſſe hominem aſſentiri rebus reuelatis ſufficienter propoſitis, per vires ſuas ſine auxilio gratiæ ſub eadem ratione formali obiecti, & ex eodem motuo, ex quo credimus per gratiam, & per Chriſtianam fidem. Et nihilominus, vt ſaluent definitiones fidei contra Pelagianos, & Semipelagianos, dicunt, illam fidem, quæ habetur per vires naturæ, non eſſe, ſicut oportet, ad ſalutem, vel ad initium ſalutis, ſolum quia in entitate ſua eſt ordinis naturalis, & imperfecta, comparatione alterius fidei ſupernaturalis. Vnde ſic opinantes non recedunt à ſententia, quam capit. 4. docuimus, ſed addunt, circa idem obiectum materiale, & formale poſſe verſari actus ſpecie, & ſubſtantia differentes, non ex obiectis, ſed ex modo tendendi in illud, nobiliori, & altiori, vel inferiori, & ignobiliori. Et hac ratione dari circa idem obiectum actum in ſubſtantia ſupernaturalem, & actum naturalem ſpecie, & entitate omnino diuerſos.

Fundamentum huius ſententiæ ſumitur ex duobus principijs. Vnum eſt, eſſe poſſibile, actus diuerſos in ſpecie verſari circa idem obiectum formale, non tantum quoad rationem formalem, quæ in illo attingitur (de hoc enim nulla eſſet controuerſia) ſed etiam quoad rationem, ſub qua attingitur. Probatur, quia formale obiectum licet ſæpe diſtinguat actus, ſitque ad id ſufficiens, quando interuenit, non eſt tamen ad æquata ratio diſtinguendi actus, nec ſimpliciter neceſſaria, quia poſſunt diſtingui ex modo diuerſo tendendi ad idem, & ex eodem motuo. Id patet in motibus, non enim ſemper diſtinguuntur ex terminis, ſed interdum ex modo tendendi, vt de circulari, & recto tradit Ariſtoteles 5. Phific. cap. 3. text. 33. Item in actibus voluntatis circa idem bonum, amor, deſiderium, & delectatio, ſeu voluntas ſimplex, intentio, & fruitio, ſpecie diſtinguuntur ex modo tendendi, iuxta doctrinam D. Thomæ. 1. 2. qu. 12. art. 1. ad 4. Item voluntas, & appetitus ſenſitiuus interdum tendunt in idem obiectum ſub eadem ratione delectabilis, & nihilominus eliciunt actus ſpecie diuerſos, non propter diuerſitatem cognitionum, nam cognitio eſt conditio obiecti, non ratio, ſed propter diuerſitatem potètiarum. Item in duobus Angelis ſpecie diuerſis, amores naturales Dei, in ipſum ſub eadem ratione bonitatis tendunt, & nihilominus amores illi diſtinguuntur ſpecie ex modo amandi ſimpliciori, vel (vt ita dicam) ſpirituali in ſua entitate: ergo non repugnat, actus ſpecie diſtingui circa idem obiectum formale. Neque reddi poteſt ratio ſufficiens, cur hoc repugnet: cum actus ex multis principijs pendeat, præſertim ex potentia, à qua propter nobilitatem ſuam poteſt nobilior